quibus ille ad priſtina loca, ceu ad cubilia ſua ventitare ſoleret; Braheanas eo machinas, ſubtilibus inſtructas dioptris, velut ad certum ſcopum direxi, omnemq; locum indagine cinxi; curribus magnæ Matris Telluris in gyrum circumactis.

Non tamen ſine ſudore ſucceſsit negocium: dum frequenter ibi deſunt machinæ, ubi potiſsimus earum uſus erat: aut dum viis lutoſis, magno temporis, magno ſumptuum impendio, transvectantur ab imperitis aurigis: aut dum ejaculatus quarundam, mihi nondum exploratus, in diverſa, quam putaveram, loca tendit. Sæpe ſplendor Solis aut Lunæ, ſæpe cœlum nubilum directoris oculis impoſuit: ſæpius objectus aeris vapidi, globum eliſum a recto tramite deflexit: nec raro parietes, obliquiſsime objecti, irritos ictus exceperunt, quantumvis crebros. Acceſsit hoſtis in excurſionibus induſtria; in inſidiis vigilantia, nobis plerumque dormientibus; in repugnando denique pertinacia: qui expugnato aut prodito caſtello uno, ſeſe recepit ad aliud: nec eadem omnium caſtellorum ratio expugnandi; nec iter ab uno ad cætera expeditum, ſed aut fluminibus interceptum, aut ſentibus impeditum, ut plurimum vero incognitum: quæ ſingula ſuis locis, in hoc commentario perſcripta ſunt.

Interim in meis caſtris, quod cladis, quod calamitatis genus non ſæviit? Clariſsimi Ducis jactura, ſeditio, peſtis, morbi, domeſtica negocia bona malaque, utroq; tempori extrahendo comparata: novus & improviſus & terribilis a tergo hoſtis, ut retuli in libro de Nova Stella; alio tempore Draco decumanus, longiſsima cauda, vomens ignes, meaque caſtra infeſtans; militum perfugia & penuria; tyronum imperitia: & caput omnium, extrema commeatuum anguſtia.

Tandem hoſtis, ubi me perſiſtere vidit in propoſito; ſe vero nuſpiam in regni ſui circuitu tutum aut ſecurum: animum ad pacis conſilia traduxit; miſſaque Natura parente, victoriæ mihi confeſsionem obtulit; libertatemq; pactus inter arbitraria vincula, brevi poſt Arithmetica & Geometria ſtipantibus, in mea caſtra, magna cum alacritate tranſivit.

Non deſtitit tamen, ex quo deditione facta, domi noſtræ, æquis amicitiæ legibus converſatur, occultis illuſionibus, quippe quietis inſuetus, nobis ultro neſcio quos belli metus incutere: ſi forte perterrefacti, ridendi copiam ipſi faceremus. At ut nos animo forti vidit, nobiſcum habitare ſerio conſentit, hoſtilitatisq; depoſita ſimulatione, fidem ſuam nobis approbavit.

VNVM hoc M^tem. V^am. rogat; ut quia magnas in regionibus æthereis clientelas habet (eſt quippe pater ipſi Jupiter, avus Saturnus, Venus ſoror, eademq; amica, & jam olim præcipuum vinculorum lenimentum, Mercurius frater, fidusque caduceator) eorumque ipſe, & ipſius illi deſiderio tenentur, propter morum ſimilitudinem: velletque & illos ſecum inter homines converſari, honorisque quo afficitur ipſe, fieri una participes: M^tas. V^a. quamprimum illos ſibi reddat; expeditionis hujus reliquiis, quæ ſe jam dedito, nihil habent porro periculi, ſtre-